



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

VII. An Accidentia materialia subjectentur in toto composito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

go antecedens; nam fundatur, ut sic, in conceptu colligente omnes partes, & unionem, sive potius representante ista tria per modum unius; alioqui deberet ista ratio totius ad illa tria posita, modo quodam omnino intelligibili, ante intellectum resultare: deinde totum formaliter importat distinctionem rationis à suis partibus & unionem, ut sunt ante animam seu intellectum, quæ sicut esse non potest nullà animà, seu intellectu, cogitante, ita nec totum formaliter, de quo clarius Resol. 3^a.

Ad Confirmationem

CLXII. Respondeo totum, sive compositum, à partibus & unionem distinguere realiter adæquatè extrinsecè, non secus ac ratio à quocumque fundamento & termino; quia sicut hæc in conceptu, ita hoc in conceptu dicto fundatur, quo præcisè posito exurgit, sicut identificabilitas, universalificabilitas, &c. posito præcisè conceptu universalificante: ad probationem verò in contrarium, Respondeo fore ejus partes extrinsecè essentielles, eo modo, quo fundamentum & terminus, sunt partes extrinsecè essentielles relationis; nec possunt esse intrinsecæ; quia causa intrinseca repugnat, ut vidimus; unde nullum totum formaliter constabit partibus intrinsecis; imò nec totum fundamentaliter dici debet constare partibus fundamentalibus intrinsecè; quia illud est ipsæ partes, & non aliud, quæ sibi invicem non sunt intrinsecæ partes, ut vidimus; unde homo ut totum formaliter (& sic de aliis) est aliquid realiter distinctum à materia, anima rationali & unionem; nec datur ut sic ante intellectum; secus fundamentaliter, & ut est materia, anima rationalis & unio, quomodo non est conflatum ex partibus intrinsecis; imò neque aggregatum per accidens est ante vel post intellectum conflatum ex duabus partibus intrinsecis; non ante, quia ut sic nihil aliud est quàm cumulus lapidum v. g. quàm iste & iste lapis, &c. iste autem lapis, neque est pars intrinseca istius, neque superius: non etiam post, ut patet.

RESOLUTIO III.

CLXIII. Dico 3^o, totum formaliter est formalitas realiter & objectivè identificata rationi formali ipsam fundandi: (quæ est conceptus statim allatus) ab eaque solà ratione formali distinctus; hæc Resolutio sequitur ex præcedenti.

CLXIV. Probatur 1^a & 2^a Pars Resolutionis clare ex dictis in Logica de Relatione, & distinctione objectiva: 3^a Pars verò probatur 1^o ex refutatione aliarum sententiarum: 2^o, quia eodem modo se habet totum ad dictum conceptum, sicut se habet ratio ad suam rationem formalem fundandi; quantitas in nostra sententia ad materiam; potentia animæ ad animam (si ab illa realiter distinguuntur); sed illa ab illis solà ratione formali distinguuntur, ergo, &c. minor patet, quia non nisi est aliud conceptus formalis relationis, quantitatis & potentiarum; alius fundamenti & termini, materiæ & animæ, &c. ut ostendimus in Logica, de Relatione Dub. 4^o. Resolut. 3^a. ergo, &c.

CLXV. Confirmatur, partes & unio sunt tria ante intellectum, totum formaliter est unum; sed totum non est unum formaliter ante intellectum & animam, ut primà Resolutione vidimus; ergo post intellectum & animam, ac per consequens totum

formaliter distinguitur realiter ab illis tribus, non secus ac ipse actus intellectus & animæ, ab illis tribus distinguatur. Ex his

CLXVI. Colliges 1^o, hanc propositionem, *Materia, Forma & Unio, sunt totum formaliter*, non magis esse veram, quàm sit hæc, *Petrus & Paulus sunt universale formaliter*; sed sicut hæc dumtaxat, *Petrus, Paulus, &c. confusè concepti per modum unius sunt universale formaliter*, est vera; ita hæc dumtaxat, *Materia, Forma, Unio confusè conceptæ per modum unius collecti, sunt totum formaliter*. 2^o, ante animam non dari concretum formaliter, ut v. g. album, unitum, &c. prout ly album, unitum, &c. dicit esse aliquid unum formaliter distinctum à subjecto & forma ac unionem, sed objectivè tantum, prout est objectivè subjectum, forma & unio, & sic de aliis.

D V B I V M V I I.

An Accidentia materialia subjectentur in toto composito.

Ante Resolutionem
CLXVII. Suppono, posse quidem accidens corporeum pendere à solo spiritu, & consequenter ens purè spirituale à materia, quia, ut in Logica Disp. de quantitate insinuavimus, corporeum est, quod extensum localiter habet multas partes; spirituale verò, quod localiter extensum non habet multas partes: de quibus specialius in Tractatu de Angelis, ubi ostendimus, ubi Angelicum esse corporeum: nihilominus accidentia, quæ naturam sequuntur, sic ut desinente formà remaneant, videntur à sola materia pendere, sicut & quæ spiritum sequuntur, sic ut remotà materià remaneant, à solo spiritu; quia alioqui deberent de subjecto, saltem inadæquato naturaliter migrare, quod inconveniens est; quia si accidens migrare posset de subjecto inadæquato in aliud inadæquatum, esset indifferens ad esse in hoc vel illo subjecto inadæquato, & ipsi perinde esset habere hoc vel illud subjectum inadæquatum; imò & habere hoc vel illud adæquatum, consequenter; quod inconveniens est. Hoc autem supposito, sit

RESOLUTIO.

CLXVIII. Dico, accidentia, quæ modo jam dicto materiam sequuntur, in sola materia immediatè, si potentia receptiva ei propria; vel mediante hac potentia, si accidentia communia & non propria, recipiuntur, & non in toto composito. Ita Averroës lib. de subst. Orbis; Simplic. 1^o. Phys. Textu 69. Philop. lib. 1^o. de generat. Ammonius de præd. quantitatis, Gregor. in 2^{um}. Dist. 12. q. 2. art. 1^o. noster Baco in 2^{um}. Dist. 18. art. 4^o. Marsil. Aureolus, Venerus, Ægidius, Nymphus, Suarez & alii è Societate post Scotistas communius: contra Durandum, Flandriam, Capreolum, Hervæum, Cajetan. de ente & essentia cap. 7^o. q. 16. Ferraram 4^o. contra gentes cap. 81. Iavellum, Sotum, Soto, Bannez, Fonscram, nostros Complut. Ioan. à Sancto Thoma, & alios Thomistas Recentiores. Hæc conclusio mihi evidens est, supposito quòd accidentia naturaliter non migrent de subjecto adæquato, vel inadæquato, in aliud tale subjectum: sed de his iterum aliquid in libris de generatione, ubi quæremus, an in generatione fiat

fiat Resolutio usque ad materiam primam.

CLXXIX. Confirmatur tamen hæc Resolutio, quia talia accidentia sunt prævia ad formam dispositiones; ergo in forma non recipiuntur, sed in materia, &c.

CLXX. Dices, accidentia communia, siue non propria non disponunt potentiam materiæ receptivam; sed materiam ad recipiendam formam substantialem; atqui dispositiones immediate reci-

piuntur in eo, quod disponunt, ergo, &c.

CLXXI. Respondeo negando maiorem ob dicta supra Disputat. 2^a de materia prima Dubio 7^o, sic ut enim ignis mediante calore ut instrumento accidentia communia, & non propria producit, ita materia prima mediante potentia receptivâ ut instrumento, accidentia communia & non propria recipit.

TRACTATUS II.

In Librum Secundum

PHYSICORVM.

LIBER hic tres partes continet: 1^a nil momenti; 2^a de Natura & arte agit: 3^a de Causis.

DISPUTATIO PRIMA

De Natura & Arte.

DVBIVM I.

Quid secundum Aristotelem natura & ars, & in quo inter se differant & conveniant.



Suppono nomen naturæ variè accipi: 1^o, pro uniuscuiusque rei essentia, quomodo dicitur definitio explicare naturam rei: 2^o, pro essentia substantiali ut distincta à sua subsistentia, quomodo dicitur u-

na natura Divina, tres subsistentiæ. 3^o, pro Deo, qui dicitur natura naturans, quomodo mundus dicitur opus naturæ. 4^o, pro collectione omnium causarum creaturarum, quæ dicitur natura naturata, & illud miraculosum, siue supra vires naturæ, quod est supra illas. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

II. **D**ico 1^o, natura definitur ab Aristotele hic, Principium & causa motus & quietis ejus, in quo, primo & per se, & non per accidens inest.

III. Dicitur 1^o, Principium & causa, ubi ly Principium, utpote contentum in causa, superfluit, nisi, velis addi majoris explicationis gratia: per ly causa excludit unionem, quæ dumtaxat est causalitas; item privationem, quæ propriè non influit in esse, cum nihil sit: sed per causam ex mente Philosophi intellige Solam passivam, cum Scotistis communis, Fabro Theorem. 33. c. 1. Fuentes hic q. 2. Sghemma disgres. 8. Poncio hic Disput. 36. q. 2. ubi ait id tam clarè asseri à Scoto in 2. Dist. 2. q. 10. n. 9. ut mirum sit ab ullo Scotista, de ejus mente dubitari posse. quidquid dixerint Vasques & Valesius intelligi activam tantum; & Connimbricenses, Rubius Hurtadus, Averfa, Arriaga, Oviedus, Telles, Murcia, &c. utramque activam & passivam, quorum præcipua ratio est, quòd Aristoteles abstrahat à causa in particulari, in ratione cause verò univocè conveniant causa activa & passiva: verum supponunt falsum;

quia mens Aristotelis est assignare causam motus naturalis, prout opponitur violento, & non prout opponitur supernaturali, quæ cum esse non possit activa, quia agens naturale in agendo naturaliter non violentatur; (siquidem violentia est ab extrinseco; omnis autem actio agentis naturalis naturaliter agentis ab intrinseco & ex propensione naturæ; licet possit in non agendo violentari, ut, si positus omnibus ad agendum requisitis, Deus ipsius actionem impediatur, vel si per improductionem caloris impediatur aqua, quo minus frigus in se producat) solum passiva intelligi potest; quia oppositio fit per ordinem ad idem: plura videbis Resolut. 4^a.

IV. Dicitur 2^o, motus & quietis, id est, primæ productionis & conservationis; ejus in quo primo & per se, id est, essentialiter, & non per accidens, id est, & non accidentaliter, inest, ut excludas Principia, quorū motus non sunt in eo, quod principiant essentialiter.

RESOLUTIO II.

V. **D**ico 2^o, Ars rectè definitur ex Aristotele Ethicorum 6^o, certa ratio factibilium, id est, actus dictans aliquid opus faciendum, siue internum, siue externum; sed communius sumitur pro ipsa operatione externa relinquente opus externum post se, aut saltem pro habitu intellectuali dictante, quomodo talis operatio fieri debeat.

RESOLUTIO III.

VI. **D**ico 3^o, natura & ars in eo maximè differunt, quòd natura sit principium substantiale ejus, in quo est; ars verò, non nisi accidentale; ac proinde illa substantia est, hæc accidens: deinde etiam in eo, quòd motus non sit ab arte quoad substantiam, prout est à natura; sed quoad modum, videlicet directionem; unde ars non potest operari finè natura & ratione: bene autem natura, finè arte & ratione.

RESOLUTIO IV.

VII. **D**ico 4^o, natura & ars in eo maximè conveniunt, 1^o quòd sicut natura operatur ex præjacente materia prima, unde natura dicitur generare;